

sus JESUM Nazarenum nostrum rabies, & cæcitas Diabolica, in transversum rapuit) suffragio atq; calculo. 3. In typorum præfigurationibus, *σκιαὶς* sive umbris, quarum complures in Mosaicis libris, præsertim autem in descripta Patriarcharum vita ac rebus gestis, tum & cultus Levitici constitutione extare, extra dubitalem Christianis nobis positum. Ex quibus tamen illi typi consideratione ut plurimum digni, quos *innatos* vocant, quiq; manifestam vel in aliis V. T. locis, vel novi Testamenti libris, obtinent declarationem. Reliquos enim, quos *illatos* vocant, quoq; probabili cum analogia cõjuncti, fideiq; analogiæ conformes sunt, ob nimiam multitudinem & varietatem, pro variâ ab Interpretibus Doctoribusq; facta applicatione, in *ἐξηγήσει*, quam meditamur, merito sicco prætereuntur pede.

IX. Hac vice, in nomine SS. Trinitatis, ab ipso Mosaici voluminis exordio, videlicet *capituli primi Geneseos versibus primis*, cum novo hoc ineunte anno (quem auspiciatissimè illucescere nobis jubeat Lucis & Pacis autor) operam exordimur nostram, quid de Christo Filio DEI, & ejus Spiritu, in iis contineatur, consideraturi. Qui labor noster, & secuturus omnis, ut in nostram *ὁμοδομήν καὶ σοφίας πνευματικῆς προκοπήν* cedat, faxit spiritus ille bonus qui in terrâ re-
ctitudinis, inq; omnem veritatem ducere solus potest, Psal. 143. 10. Joh. 16. 13. & c.

QUESTIO I.

An, & qua ratione, in voce Bibliorum primæ

בְּרֵאשִׁית in principio, mentio Filii DEI contineatur?

X. **F**ilium DEI cæli & terræ, omniūq; , quæ iis continen- *De Filio*
 tur, creatorem unâ cum Patre & Spiritu S. esse, or- *DEI crea-*
 thodoxis extra dubitationis omnis aleam est positum. Id *tore Moses*
 enim apertissimè Joh. 1. 3. Eph. 3. 9. Col. 1. 16. Heb. 3, 3, 10. *scripsit.*
 & aliis locis docetur. Vero igitur congruum quàm maxi-
 mè, à Mose etiam in primæ creationis descriptione omni-